

V C
2978.

I



h.



Q. R. XXI, 1

Vc

2978

PARENTATIO,

sive

Memoria renouata

ILLVSTRISSI-

MI PRINCIPIS, AC

DOMINI, DVCIS AVGV-

sti, Electoris Saxoniae &c.

p. m.

in

Academia VVitebergensi.

per

Iohan. Maiorem D.

Anno salutis partæ

M. D. LXXVII.

Die Februarij XI.

WITEBERGÆ

Typis Zachariae Cratonis.





ST vetus, & longos iacta-
ta querela per annos,
Qualia sunt umbræ somnia,
talis homo est.

Nil sumus, ah miseri; vel si
non vera querela est,

Quid, nisi decidui floris imago sumus?

Hunc lux nata videt nasci, dilapsaque labi,
Dumque ubi sit quæris manè, fuisse vides.

Nil nisi res fluxæ sunt infrà cornua Lunæ;

Si quis deseritur numine, qualis homo est?

Propter Adæ lapsum mors omnes haurit ad unū;

Ærugo ut chalybem, sic vorat ossa lues.

TRISTIVS est autem plures ita ducere vitam,

Instrumenta iræ sint ut apèrta Dei:

In quibus ut speculo contra ausa nefaria mundi

Signa odij ostendet tempus in omne sui.

SUNT tamen in quorum lucet sua gratia cursu,

Quæ non omne genus morte perire finit.

Hi Christum accepere animo, & sunt gētibus usu,

Ac ornant operum fine tenace Deum.

O si rem fragilem nostram, molemque malorum

Per quæ nos pænæ tot monumenta premunt:

Rursus & auxilium quod Filius æthere portat

Percipere attenda sit ratione labor.

A 2

Tum

Tum mens prona Deo grates pro munere ferret,
Quòd sua sub tanto turbine regna tegit:
Seu, quòd voce sacra sibi cœtum excerpit amicū
Proponens Nati munera, vimque sui.
Obsitus is carne emicuit, socia agmina iungens,
Ut mala quæ Serpens attulit, ipse leuet:
Effigiemque Dei nostra sub mente refingens
Per Flatum faciat nos sibi templa suum.
HÆc tamen agnoscunt aliqui dona, ardua dona,
Et celebrant ideò numen honore triplex:
Ac in militia doctrinæ, aut sorte togata
Ipsi dant operam, conficiuntque dies.
Quàm brevis est numerus, quã parva usura bono.
Vix ubi lux horum est orta, repente cadit. (rū;
Fata parùm hos terris monstrant; sed Parca cruen-
A tergo excipiens portat avara manus. (tas
Quos fulcra imperijs Deus extulit ordine fati,
Mors ceu subiectis vectibus atra movet.
Si lux illa oculi, aut ratio sine lumine verbi
Consultitur: casu vita videtur agi.
Mors hominum et pecudum specie censetur eadē,
Et sic ire homines, sicut it agmen apum.
Et nisi vox aliter sentiret sacra: valeret
Vox ea, quòd præstet non potuisse feri.
Nam

Nam quid notities rerum, & quid copia rerū est?
Inscius & scitus, dives inopsque perit.

NON tamen ob tales eventus desere sortem,
Sed dum fata volunt in statione mane.

Nosce patrem rerum, & repetenti redde vicissim,
Fer, quod is imponet, quodque iubebit, agas.

DEbuimus vivo censum, ornamenta, precesque:
Nunc opus est cineri debita iusta dari.

Nanque sui ut semen virtus quasi gignere possit:
Auribus est hominum sæpè canenda pijs.

Vtque magis claris quisq; optimus ardeat ausis:
Fama virum ornari cepit honore Dei.

Annua virtuti monumenta rependimus huius
Qui par A V G V S T O nomine, reque fuit.

Si merces operum cum vita desinat omnis:
Frustra se tanto, quisque labore terat.

ERGO pia ex flāma, quā mentibus indidit autor,
Quæ memor est meriti gratia, semen habet.

Hæcque duas species complectitur: altera veri,
Altera iustitiæ nomine clara venit.

Illa datū agnoscit meritū, & notat unde profectū
Verborum fructum pro bonitate ferens. (est,

Hæc, facit astrictas benefacta ad mutua mentes;
Hei mihi quam raras nunc habet ipsa manus.

A 3

SED

SED sedet hæc animis ratio, quòd civicus ordo
Rivulus ex scatebra fit sapiente Dei:
Iustitiæ quòd imago suæ sit, & omen apertum
Quòd populis' medius iura det ipse Deus.
Nempè, quòd est ordo, ac agmen sociale per ur-
Pænaq; in exemplis est rata: cura Dei est. (bes,
Res socia hoc nervo solida est; vita ipsa, sine illo
Præsidio vitæ, ceu laniena foret.
Nilque sacri coetus, nil fas, nil iura, nec artes,
Denique, sint uno singula fusa loco.
ERGO Deo, patriæque patri, velut æthere misso,
Nos animi memoris pignora ferre pium est.
Nemo Deum tangi sciret virtutis amore,
Vel quòd honestati, iustitiæque favet:
Nî cognata Deo lux mentibus insita nostris
Discernens gradibus fasque, nefasque suis,
Testis eat, quòd lit talis natura magistri,
Qualis scintillæ, quæ trahit inde genus.
Ipsius ad specimen norma hæc res dirigit omnes,
Et fas prosequitur laude, notatque nefas.
Laudis enim merces, quædã est sententia cordis,
Limite secernens dedecus, atque decus.
Isque Dei officium in terris præstare videtur,
Qui damnat reprobos, ornat honore bonos.
Transi-

Transfigit Astreae vocem, quae praemia cuique
Reddere pro facti conditione iubet.

Sed praeter laudis precium nihil inclyta virtus,
Ut sibi quae merces sit satis ampla, petit.

Huncq; odio sequitur Deus ex quo nulla merenti
Gratia pro manat rebus, & ore pio.

PUBLICA quapropter famae monumenta pa-
Qui res gesserunt Marte, togaque, viris. Crantur,
Graecia sic pompas, & carmina, signaque passim
Fortibus in memori struxit honore viris.

HÆC igitur pietas AVGVSTO nostra reponit
Flebile, sed gratæ carmina mentis opus.

Hoc instrumento Deus ad res usus agendas,
Per quas fama Dei crevit in Orbe, fuit.

Iure igitur pietas huic carmina libat adempto,
Cui tempus vitæ tradidit omne suæ.

Quod tamen imperio facta est iactura per ipsum:
Verba simul nobis exprimit, atque premit.

Hoc dolor: officiū est illud: fons unus utriq; est,
Defuncti & virtus munus utrunque cupit.

SED me, cui fandi nulla est, vel parva facultas,
Facundum pietas officiosa facit.

Ac veniam obsequij pro laude merebor: & æqua
Pectora, si breviter verbaque, resque feram.

Nam

Nam si cuncta meis nunc claudere versibus optē:
Tunc operis series clauderet ampla diem.
Nec dotes animi, & fortunæ, & corporis omnes
Condere scit spacijs area nostra suis.
Ad cunctos benefacta dies tulit; ergo referri
Vno non poterunt tot benefacta die.
Nemo potest viuis omnes pensare labores:
Ergo etiam partem post sua fata volunt.
Cum nos occidimus, liuor simul occidit omnis,
Et laus à tumulto surgit ad ora virum.
Fama sua ex urnis autores reddit ad auras,
Litera nec gestas res finit Orbe mori.
Illa operum custos, illa eripit omnia letho,
Musaque defunctis officiosa venit.
NON genus, & cæras, & res à patribus actas,
Nec curas habitas flore recente feram:
Ceu sunt, linguarum cognoscere semina, & artis,
Et Latia in patrios vertere verba modos:
Aut facili torno formas inducere buxo,
Flectereque in gyrum terga ferocis equi.
Sed res in medias deducam carmine mentes,
Qui cursus, & quæ sint data fata viro.
Et modò summa sequar quædam fastigia rerū,
Et flos ex hortis unus, & alter erit.

NAM

NAM cūm res varijs arderet Teutona bellis,
Tractus & in partes esset equestris honos:
Cunctaq; membra togæ facerēt deuexa ruinam,
Orba sua specie, sanguine casta suo:
Vt vix imperij simulacrum extaret inane,
Cūm spes in nostras dira volaret opes:
Regnaq; vel minimus fortunæ dissipet ictus,
Nī vim discuterent vi pia fata sua:
Ecce togæ corpus neruo & compage solutum
In solidū AVGVSTO ducere cura data est.
Fratris is excepit, laudati herōis, habenas,
Pax & composito Marte reuisit agros.
Nervus enim pacis, sedatum pectus in ipso,
Et vis consilij prompta salubris, erat,
Omniaque Augusto similis, moresq;, modūque,
Cæsare quo terris sustulit ora Deus.
Vtque sub Halcyonis partum maris ira quiescit,
Et teneris pullis ventus, & unda fauet:
Sic placidos Deus ire dies hoc principe fuit,
Sacra Deo ut posset concio pace frui.
Vnde Deo ac Musis charos eduxit alumnos,
Et Themis oraculi præstitit æqua vicem.
Ista suis Parcæ ducebant secula fufis
Sustinuit regni cūm Iosaphatus onus.

B

Quantis

Quantis ille bonas provexit sumtibus artes,
Et quanta coluit fasque, piūque fide?
Nanque ut religio quodam sit tuta receptu,
Et teneat medio ius vel in hoste suum:
Huius ope effectum est, ne sacræ ob semina litis
Sit pax in vitæ fœdere mota loco.
Hæc ratio, clavam Herculeã extorquebat ab unco
Vngue Papæ, ac ictu tela carere dabat.
Hæcque; rogis ignem eripuit: capita obvia ferro:
Colla trahi infami: viscera tunsâ rotis.
VITA nec offensa carvit sua; nanque Gigantes
Montibus in Francis exervere caput: (re,
Fex hominū, & bello quædam Oestra relicta prio,
Putribus in lucem quæ generantur equis.
Hos decus AVGVSTI stimulis carpebat amaris,
Cui tectam in varijs vim posuere locis.
Improba spes illos invadere regna movebat;
Parva quidē, at magnis fraude timēda manus.
Pulveris exigui iactu quam pressit; & antris
Antè expectatum protulit ipse suis.
Ægoceros fertur cœli inter signa relatus,
In cuius specie Pan adopertus erat.
Sic etenim pugnam contra Titanas obibat,
Et Typhona cavis retibus implicuit.

Noster

Noster at hanc terrā Lamiarū ex ungue reseruās

Ensiser Orion nomen habere potest.

Arma tulit; sed iussa tulit pro corpore regni;

Gloriaq; invidiam, vim domuere preces.

Non furor, & crepitus terrorem in pectore fecit;

Causa bona innumero milite maior erat.

Nō sunt ulla bonis reprobatorum crimina probro,

Nec virtus miseros mente retenta facit.

Maximus is vatum quanquam dat colla securi:

Non tamen huic fraudi vis aliena fuit.

Virtutem retinet præsentia numina noscens,

Et se servari scit bonitate Dei.

QUI nervo opponunt animos, quo cultus inanis,

Et vis, & regnum nititur omne Papæ:

Ac animas interq; rogos, aut flumina ponunt:

Non meriti poenam, ceu rea turba, ferunt.

Non ducenda Papæ est illis iniuria probro;

Non miser est, si cui causa, Deusque fauet.

Sicut & Augustū, tot quanquam indigna ferentē,

Non fecit miserum turpe Neronis opus.

Semper honestorum laus est, quæ pectora lenit,

Si non fortunam spes bona semper habet.

Sic nihil AVGVSTI de laude iniuria traxit;

Fretus amore Dei nulla pericla timet.

muT

B 2

Opti-

Optima vincendi ratio est, si conscia recti
Mens, & vera fides parmaq; & arma manent.
SIC bona naturæ maiora effecit ab usu,
Adiuuit studijs, obtinuitque prece,
Officij obseruans, & iusti cultor & ultor,
Suspensumque Dei numine pectus habens,
Non genio indulgit plus quam lex corporis optat,
Ne data fors operæ langueat, atque preces.
Abfuit à cultu luxus, fastidia gestu,
Fucus voce, dolus mente, favore scelus.
Frontis enim species, & corporis alta figura
De virtute animi conscia signa dabant,
Tracta in consilium ratio est, non pectoris ardor;
Semper plus veniæ, quam grauitatis erat.
Fas & iura pari fullere examine cunetis;
Nec causas ullis censuit urna dolis,
Inq; opere, & rebus mora nulla hærebat agendis,
Mente tenax, agilis corpore, voce grauis.
Multa voluptatis variæ argumenta dabantur;
Nam poterat luxum res tolerare potens:
Transuersum non ille pedem à virtute reflexit:
Nec sine doctrina tempus agebat iners.
Nãq; manu, ac animo toties sacra scripta revolvēs
Signa dedit, quòd mens arsit amore Dei.

Tum

Tum, quas nō operum causas cōplexus, & artes?
Notitiam ut fugerent nomina nulla suam,
Res gestas hominumque Deiq; in mente tenebat,
Rebus ut exemplar sumeret inde suis.
Huic fas, & morum ratio: & data fœdera mundo,
Et vis naturæ nota latentis erat.
Tum, quæ causa cavis è nubibus exprimat ignes,
Quis vapor in pluvias sit resolutus aquas:
Quaq; vice in glâdes cōcreseat, & æmula lanæ
Flore suo vacuum nix tegat unde solum.
Calluit herbarum sortes: quaq; æstus ab arte
Cederet, & summa de cute sudet aqua.
Quæque leuēt iētus, & quæ fomenta tumores;
Quæque datum ex membris virus agatur ope,
Partiriq; orbē radio, atq; examine normæ
Astra, modum Solis, iugera, saxa, locos.
Quæq; vel in partes ducit rationibus assem:
Vel rem quæ punctis ars gerit alma suis,
Inq; sonum neruos diversæ turbine clavis
Impellens, resonum pollice mouit opus.
Quis genus omne artis, quis res, quis uic explicet
Artis ut autores vinceret arte sua, (usum?)
Quid tamē has nostras ardorem incussit in artes?
Quid, nisi quòd testes sint, & imago Dei.

Artis amor, signum est divini in pectore motus;
Nanque Deos iunctos efficit artis amor,
Alciden iunxisse ferunt uestigia Musis;
Hoc est, Dux artes debet amare bonas.
Ex asino emergit putri Scarabæus ad auras;
Clamor iners gravis est artibus, atque Deo.
Multa Deus vitij & virtutum exempla, vel ipsis
Impressit rebus quæ ratione carent.
In milvum Cuculus venientem transit in annum;
Ex Monacho versa sorte Tyrannus erit,
At Leo gignit apes; & quo meliore quis ortu est,
Hoc magè se cultis arte favere probat.
TANTVS ubi ad regni molè subit usus in arte,
An pronum in luxus pectus habere putes?
Vtq; vices agerent & mens, & corpus honestas,
Opprellum nimio nec sit utrunque situ:
Arte sagittarum, aut cannæ certabat ahenæ;
Aut canè tentabat manè sagace nemus:
Aut avium generi insidias super amite struxit;
His exercitijs corporis usus erat.
Magnus amor consortis erat, comitemque fidelè
Ad casus operum iunxit, itemque viæ.
Non à lege Dei deflexit flamma iugalis,
Promissamvè vago fregit amore fidem.

Hinc & apud regni proceres tantū instar habebat,
A sensu ut gererent pendula corda suo.
Ex hoc responsum toties de iure petebant,
Cortynæ ut specimen redderet aula sagax.
Vimque suo oraclo, ut folijs tribuere Sibyllæ,
Quòd castum pectus numen habere putent.
Nam se spiritibus quos non premit æstus, & error
Aura Dei sociam iungere casta solet.
Nam licet Hyppoliti pudor est in laude ferendus:
Non tamen est, qualē corde Iosephus habet,
Et quæ temperies humorum dona paravit:
Non sunt quæ numen flabile dona creat.
Non his lux, aut vera Dei dat notio caussam:
Sed modò naturæ sunt melioris opus:
Quale Dei donum est oculis collata facultas
Ut, qua sint specie prædita quæque, notent.
Non fons est idem, neq; par respectus utrisque;
Illa fide, & sacro Flamine dona carent,
Cui divinus honor cordi, & fiducia Christi est,
Iste sacro à Flatu surgit agente pudor.
Etsi reliquix morbi fatalis inhærent:
Ut tenebræ, & recti cor rude, livor, amor:
Motus & in vitium pronus, fremitusque rebellis:
Nilque alijs tribuens gloria, multa sibi:

Æmula

Æmula mens, vt Aronis erat, pariterque sororis,
Dum Mosi lites opposuere suas:
Ac errans ratio, ceu cum movet arma Iosias:
Lapsaque spes Saulis: mensque soluta metu:
Curaque in externam sortem, & sua munia mittens:
Dira querela Deo facta: repulsa iugi:
Vindictæque labor: litis, cædumque cupido: (mūt:
Quæque alia hanc massâ sordida monstra pre-
Digna suo genere ut Deus his insurgat ad irâ,
Cum verè à monitis sint aliena Dei:
His tamè est veniæ locus, & Deus obtegit umbra
Vi precis & precij victima Christe tui:
Si modò non morbis indulgent talibus: ac si
Non secura Dei pectora legis habent:
Aut aliquo sua fata modo noscuntque, dolentque,
Spemque datam veniæ corripuere fide.
Sunt, & erunt, sed non sunt illis crimina fraudi,
Si freti merito sunt modò Christe tuo:
Et pia tela quidem vitij si opponere tendunt,
Nec contrà testem pectoris ausa movent.
Vultque premi carnem, pravosque in pectore motus
Motu qui superi Flaminis actus ope est.
Nempè, timore Dei vero, quem crimina lædunt,
Aque Dei Flatu proveniente, fide.

Rex

Rex Macedum illecebris flamarum in corde repu-
Atticus & freno spes sine lege premit: (gnat:
Ac alij quidam posuere repagula votis,
Quæ carpunt flammis plurima corda vagis.
Sed non vi supera, aut sacri moderamine Flatus,
Respectuq; Dei, siue in honore Dei:
Membra sed, ac gestus sua disciplina gubernat,
Quæ proprium humanæ est sedulitatis opus.
Pectoris hæc æstum, ne forte erumpat in actum,
Spectante officium sub ratione tenet,
Non defixa Dei ad iussus fert lumina cordis:
Sed virtutis honos pectora recta mouet.
Nec dolor est quod sit natura obnixa magistro,
Et causam ad flammam det sine lege Deo:
Non te Nate Dei pro nobis vota ferentem
Est animo amplexus, nec tibi vota refert.
TALIS Alexandri virtus, in munere gestus,
A nostri AVGVSTI laude minore gradu est.
Nanq; Dei metuens habuit pia tædia culpæ,
Ante Deum agnoscens se genus esse reum.
Quæq; fide Christi per sacrum Flamen aguntur
Fomenta ad vulnus contulit ipse suum.
Ergo foris lucens in membris cura regendis:
Omina de motu pandit aperta pio.

C

Vnde

Vnde tot in ludos, qui sacri semina cœtus
De virtute ferunt pignora, deque Deo:
Largus opum impensas fecit, censuque benigno
Alfonsi specimen sustinuisse liquet.
Cùmq; operam hanc ultrò dare debeat alma po-
Ut teneat iusto quisq; vigore suum: (testas
Nec sacri census veniant, ut inertibus, usu,
Sed sint alveolis, muneribusque pijs:
Ergo facultates prædonibus abstulit istas
Restituens fructus artibus, atque Deo.
Non satis ad victum cultores artis habebunt,
Sors nisi de sacro largior ære fluat.
Quis sine subsidijs librorum comparet artem?
Non tribus in folijs delitet omne penu,
Si melior ratio studiorum passa ruinam est:
Quis fora, quis cœtus diriget arte sacros?
Et quis doctrinæ genus hoc discernet ab illo?
Tunc caussam ad motus vox rabiosa dabit.
SED quia nos, nostrasque artes hac parte levavit:
Officio functus præsidis ille boni est.
Iussit opem studijs, & honestæ ferre iuventæ
Annua sacratæ per stipis æra Deus.
A patris officio positus discrimine nullo,
Sed pius est princeps alter in orbe Deus.

NVN-

NVNquid adhuc animos amissi cura remordet,
Cum subit officij mitis imago sui?
Densa maliseries, & cæci fœdera motus,
Nullaque pax nostris in pietate tenax:
Iam superesse velint huius grave numen, & instar;
Iamq; huc, iamque illuc lumina mota ferunt.
SED non ulla datur defuncti copia viuis;
Et negat ad terras ipse referre pedem.
Nanque Dei in claro conspectu gaudia carpit,
Et luce imbuitur iam propiore Dei.
Quæque supra captum gustavit pabula verbi,
Nunc solidè in cœlis haurit ab ore Dei.
Nam Christi statuit se morte à morte redemptum;
Corporis hinc funus, pectore fœnus erat.
Atque preces inter mens sese à corpore solvit,
Parque suæ fidei vitaque, morsque fuit.
Omnis vita, labor fuit; at mors sola laborum
Invenit requiem, Christus ad astra viam.
Curriculo exacto, & perfuncti munere iusso
Abducti ex oculis lumina gentis eunt.
Sed non deseritur tamen ipsum corpus, & agmen
In quo perpetuo munere Christus adest.
Nã quid agas? parere Deo decet; error in ipsum
Non cadit, & quicquid vultue, facitue, bonũ est.

C 2

Quen-

Quenq; sua in statione Deū expectare necesse est;

Quæ Deus imponit pondera, ferre iuuet.

Ferre sed ut possit: rectorem intelligat esse

Qui res ex nutu fingat, agatque suo.

Nemo potest ipsi vires opponere; nanque

Acrius hunc urget qui iuga ferre negat,

Mens igitur ponenda Deo est; nam cedere fas est,

Si vim fatalem non prohibere potes.

Quòd mortalis erat: mortem evitare nequbat;

Sed mors non misera est, si pia vita fuit.

Quid longum vitæ spaciū est, nisi longa malorū

Tela, quibus tandem est morte petenda quies.

Sanguis, mens, pietas, virtus, regnumq; parentis

Gentibus in Nati sorte relicta manent.

Subductus pater est; in Nato redditur idem;

Mors patris, est Nato sors rediviva suo.

Quæ consumra æuo vis flammæ in patre refrixit,

In Nato incaluit, substituitque vicem.

In quem cana Fides, Astræaque figit ocellos,

Huius & in gremium spem locat alma suam.

Fama Dei, populi que salus cui publica curæ est,

Et censum studijs dat sine sorde bonis.

Ius observanti bonus, asper iura perosis;

Omnis & huic ordo voce, animoque favet.

Regis

Regis & Achabidis ritu, Ninivamque tenentis
Fatales pœnas per sua vota levat.
Persequiturque vias omnes, ut fœdera vitæ,
Et sacra res salvum posset habere statum.
Vult ut quisque suo fungatur munere, ut æquum
Vimque suam leges, iuraque pondus habent. (est;
Non donat furijis Druidarum vera professos,
Nec damnat, quos non repperit esse reos.
Neve per errorem in lapsum inducatur, & iram:
Nil, nisi consilio rem moderante, gerit,
Pontificis fraudes didicit convellere verbis,
Et momenta piæ cognita lucis habet,
Non fert doctrinam quæ falsi semine cultus
A vero retrahit pendula corda Deo.
Hic erit Achabides anguem qui tollet ahenum,
Et Moses vituli franget inanis opus,
Templaque lustrabit sacrorum à fraude Iosias,
Est David populos ad pia sacra trahet:
Arbiter ut constans vel ceu Theodosius ille
Ad fidei normam res retulere sacras.
Nanque librum legis Deus olim regibus addens
Custodes tabulæ sint utriusque monet.
Hinc pœnam capitis sanxit sacra ficta ferenti,
Sumere quam tantum pœlicus ordo potest.

C 3

Deque

Deque Dei officio dictus Deus utitur ense,
Quem lex privatos sacra vibrare vetat.
Non igitur debet curam deflectere sacri,
Ceu sit ab officio res aliena suo.
SI tamen his stant tecta locis priscae ædita fraudi:
Pro grege detonso docta iuventa colet.
Multus & inde Dei cultor, legumque peritus
Ad rem communem munera digna feret.
QVÆ facta est igitur nobis iactura per illum:
Successore potest ad loca prisca vehi.
Nec patris amissi melius scit cura levare,
Quam Nati species, præsidiumque sui.
Pluraloqui vellem, sed cum sit causa loquendi
Sæpè: vel hac causa desino plura loqui.
O lux Teutonix quondam fidissima, salve;
Nunc desiderium res paritura, vale.
O & virtutis variæ flos inclyte, salve;
O seges ad laudem non peritura, vale.
O salve imperij decus, ac exemplar honesti;
O vatium labor, ac annua cura, vale.

D I X I.

No. 2978 AM

MC




Fragment of text from the adjacent page, partially obscured by the binding.

11

X 258 2299







B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



Vc
2978

NTATIO,
sive
ria renouata
TRISSI
NCIPIS, AC
DVCIS AVGV-
oris Saxoniae &c.
p. m.
in
Witebergensi.
per
Maiorem D.
o salutis partæ
LXXVII.
e Februarij XI.
EBERGÆ
Zacharia Cratonis.

